

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

CX. An bonestum sit facere velle hosti, quae ipse data occasione adversus
nos faceret?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

deo ad antecedens, quod continet consilium, monens, non temerè esse aliquid mutandum, sed præsentia etiam cum aliqua molestia & incommodo ferenda esse. Verùm ubi evidens utilitas mutationis elucet, mutatio instituenda est. De quarto: Resp. ad majorem. Quod consuetudine sit honesta, & legibus approbata, approbandum est. Major igitur non nisi determinatè vera est. De quinto: Respondeo ad antecedens: Legum correctio est vitanda, scilicet temeraria, nulla necessitate probabili suscepta: præterea sententia antecedentis de correctione legum communium seu Imperialium principaliter intelligenda est.

PROBLEMA CX.

An honestum sit facere velle hosti, quæ ipse data occasione adversus nos faceret?

Affirmatur.

TURPE est ea non facere velle hosti, quæ ipse data occasione contra nos faceret. Hæc sententia est Demosthenica in Olynth. Verùm impia hæc fortasse cuiquam videatur, qui objecerit sic: Nulla sententia pugnans cum Christiana religione, est recipienda. Hæc sententia talis est: Ergo non est recipienda. Assumptio probatur. Christiana religio jubet diligere inimicos, & persecutores.

Ita

Ista verò Oratoris sententia jubet vicissim in-
 sectari, & hostili more adoriri hostes: sicut et-
 iam Pindarus in Pythiis, Oda 2. Adversus ho-
 stem, inquit, sicut hostis lupi instar curram.
 Huic quod respondendum sit, porro attende.
 Non omninò pugnant sententiæ illæ inter
 se. Nam Christianæ religionis sententia lo-
 quitur de privata dilectione, qua singuli
 complecti debemus proximum nostrum et-
 iam tum, cum persequitur & odit nos. Est e-
 nim vindicta privata soli Deo committenda.
 At Demosthenica & Pindarica sententiæ po-
 tius de publica vindicta, per ordinariam po-
 testatem seu magistratum exercenda in bello
 vel extra bellum, intelligi debent. Et Pindari
 quidem dictum eatenus verum est, quatenus
 accipitur de hostibus, justis armis concertan-
 tibus. Ibi enim hosti non est parcendum. De
 quo istud Germanorum: *Man soll seinen
 Feind nicht sparen.*

Resp. ad as-
 sumpt.

PROBLEMA CXI.

*An Ira sit comes fortitudinis, ut Aristoteles sentit?
 seu: an ad fortitudinem necessaria sit Ira?*

VIR o forti opus est calore quo vires ejus
 excitentur, non ira: iudicio Scaligeri,
 quod quibus subvertam, non video. Ac
 sine ulla iracundia non solum potest, verum
 etiam debet esse vir fortis. In ira quidem spi-
 ritus